flagitia, nobis ſemper pro virili adnitendum eſt, ut in maxima mundi corruptione Chriſtianam vitam ducamus. *Auctor recens.*

Moyſes punitus, quod populo præbuit ſcandali occaſionem.

Neque me exagerare exiſtimetis; nihil non divinis probatum oraculis loquor. Moyſes, qui tot operatus fuerat miracula, qui pro ingratis ſe ſe tot periculis objecerat; magnus ille vir aditu Chanaanitidis ejuſque poſſeſſione prohibitus fuit, quia qui illi circumſtabant, ex eo ſcandali occaſionem arripuerunt. Quia mihi non credidiſti, dicit illi Dominus, neque honoraſti me coram filiis Iſrael, ideo non deduces populum in Terram promiſſam. Quibuſdam in occaſionibus Moyſes parere detrectaverat; bis, terve in Ægyptum pergere abnuerat populum liberaturus; defuit illi confidentia, cum dixit Deo: Præſum ſexcentis hominum millibus, & vis eos a me ali in deſerto; ubi nam reperiam oves, & boves, ac tot alia tantæ multitudini adeo neceſſaria? Ægre etiam ſubiit populi regendi provinciam; nihilque illum Terræ promiſſæ aditu prohibuit, niſi occaſio, quam populo præbuit ſeſe ſcandalizandi. Peccatum hoc erat omnium minimum, ſed punitum fuit tamquam maximum, propter effectus, & damnum, quod aliis afferebat. *S. Chryſoſtomus in opuſculis.*

Viri principes nocentiores ſunt, cum præbent ſcandali cauſam.

Summus Pontifex quidam in epiſtola quadam ad ævi ſui Imperatorem data inter cætera præclara, hoc habet: *Majora facit crimina dignitatum ſublimitas.* Quo potentior quis eſt, quo magis genere, honoribus, dignitatibus nitet; peccatum illius eo majus eſt, & malum quod patrat, eſt eo gravius. Quod dicitur de generis prærogativa, dici poteſt etiam de donis omnibus, quibus præ reliquis tollimur, & præ aliis eniteſcimus. Quis enim poteſt ambigere, peccatum eo majoribus pœnis eſſe puniendum, quo majori cum cognitione, & clariori bonum inter, & malum diſtinctione fuerit patratum? Hac in re Spiritus ſanctus ait: Sap. 6. *Potentes, potenter tormenta patientur.* Optimo præditus es ingenio, mente perſpicua, ſano judicio, egregia memoria; quotidie documenta recipis a tot viris, quibus inſigne lumen affulget, a tot concionatoribus. Heu! mentem hanc tot luminibus recipiendis parem, tot præclaris imbutam cognitionibus, judicium hoc adeo ſolidum, memoriam hanc adeo felicem, hæc omnia bona impeditis, ut committatis hanc injuſtitiam & impietatem, ut voſmet effrænatis cupiditatibus mancipetis, ut auctoritate veſtra aliena bona invadatis, ut viduam, & orphanum opprimatis, ut fortaſſe graviora flagitia committatis? Nonne hoc eſt abominationes abominationibus addere, eaſque in æternum inexpiabiles addere? *P. Antonius de S. Martino a Porta, & recens Auctor.*

SERVITUS DEI.

Quam ſuave ſit ſervire Deo; & quam præſtet huic ſervire, quam mundo, Fidelitas in ſervitute Dei.

MONITUM.

De fervore in ſervitute Dei, de bonorum operum praxi, de fidelitate in modicis rebus, de evangelicæ legis ſuavitate, de mandatorum Dei obſervantia, de captivitate mancipiorum mundi, deque aliis pluribus argumentis cum eo, de quo hic agimus, rationem, aut nexum aliquem habentibus alibi jam ſermo fuit; quod tamen non prohibet, quominus Dei ſervitus generatim ſumpta, ac a circumſtantiis, vel peculiaribus modis ſerviendi majeſtati Dei ſejuncta ſit, argumentum utile, & ſuggeſtui accommodatum; quoniam alia quæcumque argumenta huc referuntur, & hic eſt fructus ex aliis omnibus ſermonibus percipiendus.

Fatendum eſt tamen, quemadmodum hoc argumentum omnem chriſtianam complectitur diſciplinam, omnium præceptorum obſervantiam, omnium virtutum praxim, omniumque vitiorum fugam, concionem nimis late vagaturam, niſi in generali theſi ſubſtiteris, quin excurras in prolixas inductiones eorum ſtatuum, qui pro Dei cultu magis ſunt utiles; quales ſunt ſtatus eccleſiaſticus, & ſtatus religioſus, cujus obligatio adhuc gravior eſt. Sed ſuadendum eſt tantummodo, ut Chriſtiani ſupremo huic Domino ſerviant, ac exponendæ cauſæ, quibus ad id adiguntur, ex Chriſtiani qualitate deſumptæ, ex profeſſione, quam in baptiſmo emiſerunt, ex Dei beneficiis, ex remunerationibus, quas ille ſervis ſuis pollicetur, ac præſertim ex dignitate, & gloria, quæ illi inſervientibus cedit.

Cavendum eſt quoque, ne argumentum hoc ita diſtinctum cum devotionis argumento confundatur, de quo ſuo loco actum eſt; nam licet hæc duo argumenta unum tantummodo videantur conficere, ſolaque tractandi ratione differant, & quidquid de alterutro dicitur, de altero quoque dici poſſit, operæ pretium cenſuimus illa ſejungere, quia utrumque ſatis copiæ ad varias concionum structuras ſuppeditant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

Oſtendam vobis hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis. Joſue 24. Nequicquam ſe liberum eſſe mortalis gloriatur, quantumvis libertatis ſuæ acer aſſertor, quippe eam tamquam ſuæ naturæ prærogativam conſiderat; ubique dominum quærit, ac libenter ipſe ſe mancipat illi, qui prior occurrit corde, & affectu adhæreſcens vitæ hujus bonis, quorum ſe voluntarium efficit mancipium; hujuſmodi ſunt opes, honores, voluptates, omneſque animi ægritudines, quæ ſunt velut imperioſi tyranni, quibus per ſummum dedecus obtemperamus. Ergo vero vobis oſtendam, quinam ſit legitimus Dominus, cui unice obſequium noſtrum devovere debemus. Hic autem non alius eſt, quam Deus, qui profecto ſupremus eſt cœli, terræque dominus, ſed qui præſertim erga homines dominorum omnium & maximus, & optimus eſt. Dico 1. maximum eſſe, cujus magnitudo ad dignitatem, atque incomparabilem honoris gradum attollit eos, qui ſunt ex numero famulorum ſuorum. 2. Optimum dico, illum videlicet, cui inſervientes maxima perfundimur voluptate; illum, cui facilius gratificari poſſumus, & a quo uberiorem mercedem ſumus conſecuturi. Ita magnitudo Domini, cui famulamur, gloriam noſtram conſtituit, & nos cogit ſuſtinere glorioſam qualitatem ſervorum tanti Domini. Bonitas vero, & ſuavitas ejus exigunt, ut propter noſtram utilitatem illi fideliter ſerviamus, & propter magna bona, quæ eidem inſervientes recipimus. Duplici verbo; magnitudo, & bonitas, duæ ſunt cauſæ, quibus agi debemus ad illum nobis in Dominum eligendum, ac nos illius famulos profitendos: *Oſtendam vobis, cui potiſſimum ſervire debeatis.* Joſue 24.

Pars prima. Deus eſt magnus Dominus. Hæc prima eſt ratio, propter quam illi ſerviendum eſt. 1. Magnitudo ejus; hoc eſt naturæ ipſius præſtantia, & ſupremi hujus entis præ reliquis omnibus altitudo confert illi jus imperandi, omnibuſque creaturis intelligendi vi præditis indicit inevitabilem eidem ſerviendi neceſſitatem. Hæc veritas eſt, atque principium, quod ſolis indiget rationis luminibus; atque ſuper hoc fundamento Philoſophus omnem conſtituit politicam, eum videlicet, qui in vita civili, non ſecus ac in natura aliis ſuperior eſt aliquo præſtantiæ, ingenii, nobilitatis, doctrinæ titulo, jus habere acquiſitum, & naturale imperandi, atque rectum ordinem poſcere, ut qui illi inferior eſt, eidem obſequatur. Hoc

Hoc autem poſito quanta eſt ſupremi hujus hujus Entis ſupra nos excellentia? Angeli ſibi gloriæ vertunt quod electi ſint ejus miniſtri ad imperata facienda; creata omnia, cœli, ſydera, elementa obtemperant; homines vero, a quibus voluntariam exquirit ſervitutem, ſibi gloriæ non ducent tanto huic Domino famulari? Nonne illi qualitatem hanc cæteris quibuſcumque præferre debent? Illi ſudore ſuffundi ne debent, quod huic famulantur; divinum hunc Dominum cogere, ut ipſum talium pudeat famulorum? Nonne potius illis gloriandum eſt ob hunc titulum ſecundum veterum Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum exemplum, qui nihil glorioſius eſſe poſſe crediderunt? Nonne ipſis totis viribus conandum eſt, ut illum mereantur ea facientes, quæ digna ſunt Deo, ut loquitur S. Paulus: *Ut ambuletis digne Deo?* 2. Deus propter ſupremam magnitudinem ſuam ſupremum habet dominium in omnia creata, quæ illi neceſſario ſubjecta ſunt, ſed ab homine, quem in pretio habet, & cum quo non ſine quadam reverentiæ ſpecie agit, ut loquitur Scriptura, voluntariam exigit ſervitutem; non vult hunc ſibi mancipii inſtar deſervire, ſed ſponte, & ut amicum potius decet, quam ſervum, quemadmodum idem ait Job 15. *Non dixi vos ſervos, ſed amicos.* Sed cum imperium, & dominium, quod in nos obtinet, alienari non poſſit, ſi renuimus illi, quatenus ſervos, eſſe fideles, eidem fideles erimus quatenus rebelles captivi, in quibus juſtitiæ ipſius rigor eniteſcet. 3. Duobus hiſce titulis, qui ſunt illius magnitudo, ac ſupremum, quod in nos habet, dominium, tamquam Creator noſter, adde etiam tertium jus nos ſervos vocandi, quod nequaquam credidit ſua magnitudine indignum; videlicet, quod nos emit, vel potius redemit. Etenim noſmet alteri mancipaveramus Domino per peccatum, & hoc pacto illius excuſſeramus imperium, ut peccato, ac dæmoni obſequeremur, ut S. Petrus Apoſtolus inquit. Poſtquam autem nos ex hac liberavit captivitate vitæ, ſanguiniſque ſui pretio, nobiſque libertatem filiorum Dei acquiſivit, nonniſi propter illum, & ut illi ſerviamus, vivendum eſt nobis, quæ eſt S. Pauli 2. ad Cor. 5. illatio; *Ut jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Ita niſi ingrati ſimus tanto huic beneficio, quod reliqua omnia complectitur, noſmet illius ſervituti mancipare debemus; quapropter parti huic finis imponendus eſt profitendo, nos cum gratia ipſius, eidem in æternum fideliter ſervituros:

Pars altera. Deus dominorum omnium eſt Dominus, quapropter intereſt noſtra illi ſervire, & in hac ſervitute ad mortem uſque permanere. 1. Commodus eſt dominus nihil præcipiens, quod vires noſtras excedat, nil nimis durum, & difficile: cui ſatis eſt modicum illud, quod pro illius ſervitute facimus, & qui reſpicit magis affectum, bonamquæ voluntatem, quam magnitudinem earum rerum, quæ facimus, ut ipſi ſerviamus. Ubi inſtituenda eſt comparatio, & oſtendendum quid in mundi, aliorumque dominorum ſervitio in omnibus ſtatibus, & conditionibus ſit perferendum. 2. Dominus eſt bonitate, & ſuavitate refertiſſimus, qui lenit unctione gratiæ ſuæ ſervorum ſuorum labores, & pœnas; quamobrem jure teſtatur jugum ſuum ſuave eſſe, & onus, quod a nobis geſtari jubet, leve, 3. Dominus eſt liberalis, qui rationem habet earum rerum omnium, quæ pro illius ſervitute facimus, neque eas in altera tantum vita remunerari differt; ſed in hac quoque incipit ea dulcedine, & ſolatio, quo afficit ſervos ſuos, & quod ultra centuplum omnes eorum labores remuneratur.

II. 1. Fidelium qualitas, quam gerimus, nos cogit, ut Deo fideliter deſerviamus. 2. Tota chriſtiana doctrina ad id redigitur, ut ſciamus, quomodo illi ſerviendum ſit.

Pro priori parte. Hanc in baptiſmo profeſſionem emiſimus abrenunciandi mundo, pompis ejus, omnibuſque vanitatibus illius, ut Deo uno ſerviremus. Secundo; prima veritas, quam in religione docemur, eſt, nos in mundo eſſe dumtaxat, ut Deum amemus, eique ſerviamus, & hic finis eſt, ad quem creati ſumus, ut illi inſerviamus, cum propter illum, ejuſque gloriam tantummodo creati ſimus. Tertio: quia tota noſtra felicitas in hoc ſita eſt, ut illum in hac vita diligamus, eique famulemur; quippe in altera eo majores erimus, quo fidelius illi fuerimus obſecuti.

Pro poſteriori. Chriſtiana religio docet, ad hoc ut Deo ſerviamus, quomodo ille cupit, & ipſi tenemur; 1. nobis ad unguem leges, & mandata illius ſervanda eſſe. 2. Omnes actiones noſtras ad ejus gloriam eſſe referendas, nihilque aliud ſpectandum, niſi quod pro illo nobis laborandum eſt. 3. Habendam eſſe ſinceram voluntatem numquam ab illius ſervitute deſciſcendi, eumque numquam lædendi.

III. Tria potiſſimum in Dei ſervitute ſunt conſideranda. 1. Honor, & gloria, quæ cedit ſervientibus ſupremo huic univerſorum Domino. 2. Bona, quæ inde in hac vita recipimus: peculiare illius patrocinium; pax conſcientiæ; libertas filiorum Dei; immunitas a cupiditatum captivitate, & mundi hujus ſervitute. 3. Præmia, quæ in altera vita ſperamus, & regni ſui hæreditas, quam ſervis ſuis pollicetur.

IV. 1. Deus a nobis exigit jure, ut illi noſtram devoveamus ſervitutem, quatenus Creator, qui ad id nos unice creavit; quatenus ſupremus Dominus, qui imperare poteſt, quod illi placet; quatenus noſter poſtremus finis, qui futurus eſt ſuprema felicitas noſtra, quam ipſe nos mereri vult ipſi famulando. 2. Oſtendendum eſt nos futuros felices, & Deum contentum noſtri futurum, ſi illi inſervientes id fecerimus, quod facimus, ut mundo ſerviamus.

V. Tria ſunt bonorum genera in ſervitute Dei, quæ in mundi ſervitute non inveniuntur. 1. Bonum honorabile: *ſervire Deo regnare eſt:* cum e contra mundi, & cupiditatum noſtrarum ſervitus turpis ſit. 2. Bonum utile. Ibi enim infinita ad cœleſtem gloriam acquirimus merita, ubi æternam mercedem ſumus conſecuturi. 3. Bonum delectabile. Ibi enim pacem nanciſcimur, veraſque voluptates guſtamus.

VI. 1. Obligatio ſerviendi Deo. Illius ſumus, quia ſumus opera ejus; poteſt igitur jure de nobis diſponere, operam noſtram a nobis exigere. Ad hæc propter illum ſumus, ut eum colamus, eique ſerviamus, a quo eſſe, & vivere accepimus. Denique tota noſtra felicitas in hoc ſita eſt, ut fideliter ei famulemur. 2. Quænam ſint opera, quæ a nobis exigit? Eadem præter propter ac illa, quæ fideles famuli dominis ſuis præſtant, Quærere, quid ipſe velit, & optet a nobis fieri. *Domine quid me vis facere?* uti S. Paulus dixit ſtatim ac fuit converſus; id alacriter, & fideliter exequi, nec umquam facere, quod illi diſpliceat. 3. Quomodo illi ſerviendum ſit, & conditiones, quas a ſervis exigit Deus. Hæ nimis duræ non ſunt; eædem enim ſunt, quas S. Paulus in ſervis erga heros ipſorum requirit, videlicet, ut illi *cum timore & tremore*, ſed filiali timore ſerviamus; *cum ſimplicitate*; hoc eſt cum intentione eidem placendi; cum alacri, hilarique voluntate: *cum bona voluntate.* Deus ignavos in ſervorum ſuorum album non recipit.

VII. 1. Rationes, quæ nos ad Deo ſerviendum impellere debent: juſtitia; illi debemus quidquid ſumus, quidquid habemus, quidquid facimus. Utilitas; ibi enim quæcumque fingi poſſunt bona, invenimus. Gratitudo; quid minus facere poſſumus propter Deum, qui in ſingula momenta nos cumulat beneficiis? 2. Modus, quo Deo ſibi ſerviri vult. Libere ſerviendum eſt illi; quippe involuntariam, coactamque, quæ ſibi ab invito adhibetur, reſpuit ſervitutem. Vult ſibi cum gaudio, non autem cum triſtitia, & mœrore ſerviri. Serviendum eſt illi cum perſeverantia; & mobilem, atque inconſtante reſpuit ſervitutem.

VIII. De illo diſcrimine, quod inter mundi, ac Dei ſervitutem intercedit. 1. Mundi ſervitus dura eſt, atque difficilis. Dei vero ſuavis eſt; quippe gratiarum ſuarum ope nobis modum ſuppeditat, quo adimplere poſſimus ea, quæ præcipit, efficitque, ut ibi gaudium reperiamus. 2. Mundi ſervitus infructuoſa, ac ſterilis eſt: plurimum laboratur, & vulgo nullus fit quæſtus: in ſingulos aliquod lucrantes ſexcenti numerantur ſpe ſua fruſtrati, & modicum illud, quod percipitur, non eſt cum labore ad id perferendo comparandum. 3. Mundi ſervitus turpis eſt; qui illi ſerviunt, ad humillima quæque dejiciuntur, cum e contra ſervitus Dei ſit cum ſummo honore conjuncta.

IX. 1. Ex omnibus dominis Deo uni jus eſt nos obligandi, ut illi in ſpiritu, & veritate ſerviamus; cujus rei argumenta a nobis jam allata ſunt. Hæc prima eſt propoſitio. 2. Tamen ex omnibus dominis Deus ille eſt, cui vulgo peſſime ſerviatur; quotus enim quiſque propter illum facit, quod facit pro mundi, ac terræ principibus? Propoſitio altera. *Ex dictionario Morali.*

X. Nihil glorioſius eſt, quam titulus ſervorum Dei, qui ſimul nobis & amicorum, & filiorum ejus confert qualitatem, qui certos nos facit protectionis ejus, & jus nobis confert ad cœli hæreditatem. 2. Nihil indignius, quam illi renuere ſervitutem, quæ ipſi debetur; & agere contra gloriam illius, vel illi oſcitanter deſervire. *Ex P. Duneau tomo primo Dominicalis.*

Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam &c. Duæ qualitates, quas verus

XI. Dei ſervus habere debet. 1. Fidelitas in Domini ſui gloria procuranda; in præferenda illius utilitate propriæ,

priæ, perfecta animi integritate, in illi ſerviendo ſumma cura, feſtinatione, & ardore. 2. Prudentia, quæ in eo poſita eſt, ut illi ſecundum ſtatum noſtrum ſerviamus; nihil aggrediamur quod vires noſtras excedat; atque ea captemus conſilia, per quæ id conſequi valeamus, quod pro divini hujus Domini ſervitio ſuſcipimus.

XII. De diſcrimine inter Dei, & mundi ſervitutem. 1. Mundus eſt dominus crudelis, & non ferendus; Deus autem ſuavis, & qui cum famulis ſuis ſumma agit benignitate. 2. Mundus eſt Dominus moroſus, cui fere numquam ſatisfacere potes: Deus Dominus eſt noſtræ indulgens infirmitati, & cui ſatis eſt id, quod pro illo facere poſſumus. 3. Mundus dominus eſt infidelis, ingratus, qui multum pollicetur, ſed qui ſervos ſuos fruſtratur, ac inani ſpe decipit: Deus e contra fidelis eſt in promiſſionibus ſuis, & magnificus in remunerationibus &c.

XIII. In duplici ſermonis hujus parte oſtendere poſſumus: 1. labores, qui in Dei ſervitute perferendi ſunt, toto cœlo minores, levioreſque eſſe illis, quos in mundi ſervitute ſuſtinemus: 2. e contra gaudia, quæ in Dei ſervitute guſtamus, toto cœlo majora eſſe. Itaque labores cum laboribus, gaudia cum gaudiis ſunt conferenda, ac inde inferendum, Dei ſervitutem ſervituti mundi eſſe præferendam. *Ex Auctore ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta tomo 2. ſermonum particularium.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque unde hauriri poteſt copia ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Auguſtinus *Tract.* 85. *in Joannem* duo diſtinguit genera ſervientium Deo, aliorum, qui amore, aliorum qui timore ſerviunt; & duplicem Deum metuendi rationem explicat.

Idem *in Expoſit. in Magnificat* recenſet, & explicat quatuor ſervitutum genera, quæ Deus a creaturis ſuis exigit.

Idem *Tract.* 41. *in Joann.* loquitur de ſervitute peccati, & infelicitate ſervitutis mundi.

Idem *Epiſt. alias* 39. *nunc* 26. vehementer hortatur adoleſcentem ad Dei ſervitutem amplectendam.

S. Hieronymus *Epiſt.* 13. oſtendit, nomen Chriſtiani, & ſervi Dei eſſe aliquid per ſe magnum, ſed re ipſa nihil eſſe, cum ſervitur Deo eo modo, qui adeo ſpecioſo nomine eſt indignus.

S. Chryſoſtomus *Epiſt.* 7. *ad Theodor. Monach.* docet, neminem vere liberum, & a curis immunem futurum, niſi qui vivit pro JESU CHRISTO, eique fideliter ſervit.

Idem exhortatione *in cap.* 28. *Matthæi* oſtendit, id, quod nobis præcipit Deus, facile adimpleri poſſe, facilitatem hanc aliquando damnationem noſtram futuram, & cauſam, propter quam in nos gravius animadverteretur.

Idem *Homil.* 21. *in* 1. *ad Corinth.* oſtendit, nobis vivendum eſſe nonniſi propter illum, qui nos redemit, quia ſumus illius, & ad illum hoc titulo pertinemus.

S. Paulinus *Epiſt.* 25. oſtendit nullius Domini ſervitutem ſervituti Dei nobis eſſe præferendam.

S. Fulgentius *Epiſt.* 4. oſtendit, Chriſtiano ſemper chriſtiane, vivendum, ſerviendo maximo omnium dominorum.

S. Chryſologus *Serm.* 14. pulcherrimam habet ſervitutis Dominicæ deſcriptionem.

S. Bernardus *Serm.* 2. *in cap. Jejunii* oſtendit, quid ſit faciendum, ut ſimus veri ſervi Dei.

Idem *lib. ſentent.* vel qui libri hujus eſt auctor *n.* 2. *&* 5. oſtendit, quatuor eſſe dominos, qui variis modis homines in ſuam pertrahunt ſervitutem.

Caſſianus *lib.* 10. *Inſtitutionum Monaſticarum c.* 1. 2. 3. *&* 4. regulas præbet circa rationem præſtandi Deo ſervitutem, quæ illi debetur, & exhibet illuſiones, & vitia, in quæ labuntur illi, qui ſe falſo Dei ſervos jactant.

Nonnulli ſancti Patres loquentes de devotione, quæ non aliud eſt, quam ratio bene ſerviendi Deo, loquuntur de conditionibus neceſſariis ad hoc, ut Deo bene ſerviatur. Veluti S. Auguſtinus in libro de vera religione, S. Ambroſius in Pſalmum 118. S. Anſelmus in ſoliloquiis. Alios etiam memoravimus in titulis *Fervoris*, *mandatorum Dei*, *legis evangelicæ*, *obligationum baptiſmi*, *&* *nominis chriſtiani*. Conſuli poterunt hi tituli, qui cum hoc nexum habent.

Aſcetici aliique.

Hieronymus Platus *de bono ſtatu religioſi* l. 1. c. 3. oſtendit, hominem non eſſe juris ſui, ſed Dei; & affert ſeptem rationes præcipuas, propter quas ille ſervire tenetur.

P. Ludovicus Granatenſis in duce peccatorum amplum edidit hujus argumenti tractatum. In cap. 1. oſtendit, ſupremam Dei eſſentiam nos cogere, ut ſerviamus illi. In capite altero, nos ad id titulo creationis teneri. In tertio §. 1. quam indignum ſit non ſervire Deo, & in capitibus ſequentibus, nos ad id teneri propter redemptionis, juſtificationis, & prædeſtinationis noſtræ beneficia.

Cambolas in libro, cui titulus: *Vitæ Chriſtianæ exemplar* cap. 5. §. 2. docet, Chriſtianum non debere vivere ſibi, ſed Deo, & ut huic ſerviat. Cap. 6. § 4. oſtendit, mundum, ejuſque placita cum Dei ſervitute conciliari non poſſe. Cap. 8. §. 8. docet, homini numquam intermittendam eſſe eam ſervitutem, quam debet Deo, non ſecus ac creata reliqua eam non intermittunt. Et §. ſequenti oſtendit, res omnes hujus mundi determinatum tempus habere; ſed Deo ſervire omnium temporum eſſe, omnium locorum, quia ſemper ad Deum pertinemus. Et in §. 13. capitis ejuſdem oſtendit, quod Chriſtianus deberet ſervire Deo toto vitæ ſuæ tempore, quamvis eſſet æterna.

Euſebius Nierembergius tomo Homiliarum plures habet hujus argumenti homilias, ubi agit de captivitate eorum, qui mundo ſerviunt, & de ſuavitate jugi Salvatoris.

P. Croiſet, tomo primo chriſtianarum conſiderationum agit de præjudiciis, quæ virtutis ſuavitatem oppugnant.

P. Guilleminot libro, cui titulus: *Sapientia chriſtiana* cap. 3. docet, nos noſtri juris non eſſe, ſed Dei.

Rodriguez lib. 1. tract. 3. cap. 13. ubi agit de puritate intentionis, loquitur de rationibus, propter quas Deo ſerviendum eſt.

Pean in libro, qui inſcribitur: *Schola* JESU CHRISTI cap. 3. oſtendit arctam, & inevitabilem obligationem ſerviendi Deo.

Boudon in libro, cui titulus: *Chriſtianus ignotus* cap. 4. oſtendit, Chriſtianum pro Domino habere Deum, cui omnem ſervitutem ſuam debet impendere.

Dandinus in *Ethicis Sacris l.* 44. *c.* 6. oſtendit, quæ gloria ſit ſervire Deo, & adfert ſanctorum Patrum de hac re ſententiam.

S. Franciſcus Saleſius in Introductione ad vitam devotam, ſub devotionis nomine dicit, quidquid magis ſolidum dici poteſt de ſervitute Dei. Et in titulo de Devotione plurimos recenſuimus Auctores, qui de hac virtute verba faciunt; & quidquid illi dicunt facile transferri poteſt ad illud, de quo agimus, argumentum.

Concionatores recentes.

Præter concionatores, qui egerunt de devotione, fervore, ſuavitate jugi Salvatoris, hi ſunt, qui præ cæteris peculiariter de Dei ſervitute locuti ſunt.

P. Texier in dominicali, Dominica tertia poſt Paſcha integrum habet ſermonem de ſuavitate ſervitutis Dei, & de bonorum gaudiis.

Biroat ſermone tertio pro tertia Quadrageſimæ Dominica docet, imperium, quod in nos habet Deus, dividi non poſſe, quin deſtruatur.

P. de la Colombiere *ſerm.* 48. oſtendit Chriſtiano chriſtiane ſemper vivendum eſſe maximo Dominorum omnium ſerviendo.

Idem ſermone 58. oſtendit Deo, & mundo ſimul ſerviri non poſſe.

P. Daneau in decimam quartam poſt Pentecoſten Dominicam, oſtendit hoc ipſum, & quam glorioſum ſit ſervire Deo.

Idem in Evangelium: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, loquitur de ſervitute a nobis Deo præſtanda.

In dictionario morali duo ſunt deinceps ſermones alterum de utilitate, quæ manet ſervientes Deo, alterum de fervore, cum quo Deo ſerviendum.

Sarazin in Adventu, ſermone, cui titulus: *Reparatio noſtræ voluntatis per ſubmiſſionem voluntati Dei.* Pars hujus ſermonis ſecunda eſt de ſubmiſſione, ac ſervitute, quam debemus Deo.

Joly in operibus mixtis, ſermone de officiis populorum erga Deum, & erga Regem.

Auctor ſermonum Chriſtianorum tomo 4. ſermone pro 22. poſt Pentecoſten Dominica loquitur de officiis hominis Chriſtiani erga Deum, & Principem.

P. Aurelianenſis in ſermone de ſeveritate evangelica plurima habet de ſervitute Dei.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta in ſermonibus particularibus tomo 2. unum habet, ubi oſtendit in ſervitute Dei minus eſſe laboris, & plus gaudii, quam in mundi ſervitute.

Qui collectanea ediderunt.

Buſæus in Viridario. Titulo. *Perfectio.*
Labatha. Titulo *ſervi Dei.*
Spanner Polianthea Sacra. Titulo *ſervus Dei.*
Summa Prædicantium.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

D*Ominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Deuteron. 6. & Matth. 4.

Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua. Deuteron. 10.

Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſervies, ipſi adhærebis. Ibidem.

Timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde atque veriſſimo. Joſue 24.

Eligite hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis. Ibid.

Servite Domino in omni corde veſtro. 1. Reg. cap. 12.

Timete Dominum, & ſervite ei in veritate, & ex toto corde veſtro. Ibid.

Vade, & loquere ad ſervum meum David. 2. Reg. cap. 7.

Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? Job. 1.

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Pſalm. 2.

Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Pſal. 20.

Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Pſal. 102.

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Pſal. 72.

Bonitatem feciſti cum ſervo tuo Domine. Pſal. 118.

Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ. Pſal. 115.

Servite Domino in veritate. Tob. 14.

Servite Domino in lætitia. Pſalm. 99.

Confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſerviam. Jerem. 2.

Millia millium miniſtrabant ei. Daniel. 7.

Si Dominus ego ſum, ubi eſt honor meus? Malach. 1.

Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Matthæi 25.

Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam? Matth. 24.

Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores. Matt. 25.

Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Matth. 11.

Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris. Ibid.

Nemo poteſt duobus domini ſervire. Matth. 6.

Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ. Ibid.

Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Luc. 9.

Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Matth. 22.

Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Luc. 12.

Paulus, ſervus Jeſu Chriſti. Ad Rom. 1.

Jacobus Dei & Domini noſtri J. Chriſti ſervus. Jacob. 1.

Simon Petrus, ſervus, & Apoſtolus Jeſu Chriſti. 2. Petri 1.

Judas Jeſu Chriſti ſervus. Judæ 1.

Servire Deo vivo, & vero. 1. ad Theſſal. 1.

A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt. 2. Petr. 2.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Moyſen prætulit ſervitutem Dei ſervituti mundi, & honoribus Aulæ.

ADmiratur Apoſtolus electionem, qua Moyſes Deo ſervire maluit, & mundo illum prætulit, nam licet magnus hic Iſraelis legiſlator a Pharaonis filia fuiſſet adoptatus, & in regis aula nutritus, cum adolevit, cæleſti afflatus lumine ſapienter abdicavit honorem filii reginæ illius, & conculcans omnem, quam inde expectare poterat, proſperitatem, maluit ſe ſe Iſraelitis fratribus ſuis jungere, quamvis crudelis ſervitutis jugo oppreſſis, quam diutius perfrui deliciis, & ſuavitatibus, quas in Ægypti aula guſtabat: *Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Ad Hebr. 11. Quam ſapiens eſt hæc electio; & quam admirabile hoc exemplum! Nonne ſemper nobis præferenda eſſet ſocietas bonorum virorum in ipſorum paupertate, contemptum, & anguſtiis, quam improborum in rerum copia, & lætitia? Nonne millies beatiores ſumus, quod Salvatori ſervimus potius participes facti dolorum, & ignominiarum illius, quam dignitatum, & gaudiorum mundi, hunc noſmet captivantes? *Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Hoc nos docet magni illius legiſlatoris exemplum.

Quid dixerit Joſue filiis Iſrael illos ad Dei ſervitutem revocaturus.

Joſue, ut Judæis ipſorum oſtenderet prævaricationes, eoſque ad officium revocaret, nullam expeditiorem viam eſſe arbitratus eſt, quam illis dicere: Ad voſmet ipſos me converto, conſiderate quæ promiſiſtis, & quæ feciſtis; nonne vos ipſi Deum vobis in dominum elegiſtis, nonne illi bene ſervire decreviſtis? Poterat ille (ut S. Joannes Chryſoſtomus animadvertit) poterat illis oſtendere ſupremum Dei in ipſos dominium; poterat recenſere gratias, quas ab eodem receperant, victorias, quas illius ope reportaverant; ſed quin illic immoretur, ſatis eſſe putat ad ipſos de ipſis provocare; ab ipſis prævaricatoribus ab ipſos electione, & jurejurando obſtrictos. Quamvis alius quilibet externus teſtis in mentibus, cordibuſque veſtris eam non haberet vim, quam debet habere conſcientiæ veſtræ teſtimonium, nonne ad vivum exhibet vobis, quod vobis faciendum fuit, & quod non feciſtis?

Sæculi ſectatores Dei ſervitutem reſpiciunt, ut olim Iſraelitæ deſertū poſt tranſitum maris rubei.

Plurimi eorum, qui olim cum Moyſe rubrum mare traduxerunt ſpectantes immenſæ magnitudinis deſertum ſibi neceſſario traducendum, ut ad terram promiſſam pervenirent, hoc illis adeo horrendum viſum eſt, ut ægre illud fuerint ingreſſi. In quam infelicem terram nos adduxiſti, dixerunt ſeditioſi duci ſuo; ubi nulli ſunt fluvii, fontes nulli, nulli arbores, non meſſes, non pecora, ingentes arenæ, campi, rupeſque, ubi feræ ipſæ vix audent morari; hæccine via eſt, quam ingredi homo poteſt, qui ſui ipſius, naturæque non ſit inimicus? Hic eſt in figura ſermo ſectatorum mundi, cum apud illos de ſervitute Dei loquimur. Hæc regio eſt, quam tamquam deſerti ſpeciem reſpiciunt, ubi procul ab hominum conſortio nonniſi injucunda, & moleſtia duci vita poteſt; quia in hoc deſerto nihil videtur (ubi eminus tantum videatur) niſi quod valeat deterrere. Ibi nulli ſunt ludi, nulla ſpectacula, nullæ ineptæ ſocietates, nullæ mundanæ occupationes, ibi nullæ cupiditates, nullæ verſutiæ, nulli ſingulares amores, qui tamquam ſcandala habentur: inanium futiliumque alloquiorum locum preces obtinent, bonis tantum operibus vacatur, in id tantum incumbitur, ut ſtatus ſui obeantur officia. O teterrimum vivendi genus, inquiunt illi; animus ne appelli poteſt, ut tali ſerviatur Domino cruces tantum, ac paſſiones ſervis ſuis promittenti? Ita mortales loquuntur; & hæc falſa eſt idea, quæ de ſervitute Dei habetur.

Deus tunc tandem Dominus vocatus fuit, cum hominem in terreſtri Paradiſo effinxit.

Tertullianus primum Geneſeos caput conſiderans animadvertit, Deum, qui, antequam primum hominem creaſſet, Deus ſemper appellatus fuit, ſtatim poſt creationem illius Domini nomen aſſumpſiſſe: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ;* ſeu ut doceret, hominem unum ex creaturis omnibus eſſe, cujus Deus Dominum, ac regem dici oblectetur, ſeu ut hominem ipſum doceret, illi non alium eſſe dominum, cui in hoc mundo ſerviat, præter Deum, qui ſtatim ac ipſum ex nihilo eduxit, glorioſam hanc ſibi vindicavit qualitatem, quam antea noluerat aſſumere in reliqua omnia, quæ ipſe creaverat. Vel, ut addit S. Auguſtinus, Deus poſtquam primum hominem creavit, dedit illi imperium in omnia animantia, quaſi ſignificare voluiſſet, Deum imperium ſuum oſtendere modo longe alio ab eo, quo hujus terræ domini. Hi principes ſunt ſervos, ſubditoſque facientes; Deus vero ſe ſupremum rerum principem oſtendit dominos faciens. Hoc adinventum eſt illius ſapientia dignum, ut regni ſui gloria, & aulæ magnificentia refulgeat, cum illi non non niſi reges, & qui ſunt perfecta libertati donati, deſerviant.

Illi, quos Deus ſervos ſuos vocavit, præcipui fuerunt veteris teſtamenti viri.

Manifeſtum, authenticumque argumentum, quo probetur nullum eſſe nomen præſtantius, & glorioſius nomine ſervi Dei, hoc eſt, quod Deus ipſe de ſanctiſſimis, qui umquam extiterint, viris loquens illos ſervorum ſuorum nomine indigitaverit; perinde ac nullum eſſet nomen, ex quo melius eorum magnitudinem, & ſanctitatem intelligeremus. In Geneſi c. 26. dixit ad Iſaac: *Ego ſum Deus Abraham patris tui; benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſervum meum Abraham.* In Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Joſue, Moyſes ſemper *ſervus Domini*, *famulus Domini* appellatur. Deus ex Dæmone quærit: *Numquid conſideraſti ſervum meum Job?* Job 1. Et loquens de David cum Propheta Nathan ait: *Hæc dices ſervo meo David.* 2. Reg. 7. Sed nonne Abraham, Moyſes, Job, David, quin de aliis loquamur, præſtantiſſimi fuerint veteris teſtamenti homines?

Dei ſervus libertatem ſuam in carceribus, atque inter vincula, compedeſque ſervat, cujus rei eximium habemus, S. Ambroſius ait, in Joſepho teſtimonium. Ægyptiis venumdatus fuit per fratrum ſuorum improbitantem, ut ſervus eſſet: *In ſervum venumdatus*

datus eſt Joſeph; Pſal. 105. at non ideo fuit ſervus. Corpus quidem illius vinculis conſtrictum fuit, anima vero non item. S. Ambroſius inquit: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ſed non animam ejus.* Quid! ſervum putabis ſapientem hunc virum, quem tamquam Oraculum Ægypti Reges conſuluerunt, & qui univerſo illi populo imperitavit? *Quomodo hic ſervus, qui erudivit principes populi, & univerſum Ægypti populum in ſervitutem redegit?* Hoc ipſum dicere poſſumus de S. Joanne Baptiſta in novo teſtamento. Magnus hic Meſſiæ præcurſor in ſpeciem quidem ceſſit crudelitati Herodis, a quo in vincula fuit conjectus. Sed de hoc dicere poſſumus, quod Tertullianus de omnibus martyribus: *Etſi corpus includatur, omnia ſpiritui parent.* Corpus illius vinctum eſt, ſed ſpiritus liber.

Moyſes, & Joſue non majoribus encomiis in Scripturis ornantur, quam cum Dei ſervi appellantur.

In ſcripturis videmus duos præcipuos viros, qui in Dei populo enituerint, poſt mortem non alio decoratos fuiſſe elogio, quam nomine ſervorum Dei: *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini: Mortuus eſt Joſue filius Nun ſervus Domini.* Joſue 1. Hoc fuit eximium veluti illuſtrium horum Heroum epitaphium, qui præ cæteris enituiſſe aliis videntur nominibus, quam hoc ſimplicium Dei ſervorum titulo. In prioris enim cippo inſculpi potuit, hic erat legislator, & dux populi ſui, Deus Pharaonis, ſecretorum Altiſſimi ſequeſter, miraculorum illius inſtrumentum, & brachium quodammodo potentiæ illius. In Joſue autem ſepulchro quænam cælari potuiſſet epigraphes poſt tot prælia præclara, victorias relatas, ac tot præclare geſta, inhibitum præcipitem Solis curſum, redditumque voci ſuæ obedientem ſyderum, & elementorum creatorem? *Obediente Domino voci hominis.* Joſue 10. Attamen iſti duo viri adeo illuſtres non aliud habuere elogium præter titulum ſervorum Dei, quia hic unus cæteros quoſcumque longiſſime ſuperat.

Jonas Propheta ſe Dei veri ſervum, & adoratorem tantummodo vocat.

Jonas erat propheta, ideoque Dei ſervus; hoc enim appellabantur nomine omnes illi, quos in illuſtri hoc miniſterio Deus adhibeat; ſervus erat rebellis, & fugitivus, qui navim conſcenderat Tarſum profecturus, ne Domini mandata faceſſeret. Attamen cum divina ipſum perſequeretur Juſtitia, neque ipſe ignoraret, procellam navi, nautiſque naufragium minitantem in ſuæ inobedientiæ pœnam excitatam fuiſſe, credidit ſe non poſſe melius maris fluctus mulcere, ac Dei iram lenire, quam crimen ſuum confitendo, ac profitendo a ſe Deum cœli, cujus famulus erat, adorari; ſed ſe morte dignum, & in mare projiciendum, eo quod illi obtemperare detrectaſſet: *Hæbreus ſum, & Dominum Deum cœli ego timeo.* Jonæ 1.

Primum, & perfectiſſimũ exemplar ſervi Dei, eſt filius ipſius Dei.

Non poſtrema inter cauſas, quæ Dei filium hominis naturam coegit aſſumere, ac in terras deſcendere, fuit, ut doceret homines, quinam cultus, & honor ſupremo Cœlorum, terrarumque Domino debeatur: quod ipſi dicimus ſervire Deo, qui finis eſt, propter quem homo creatus fuit. Divinus hic dominus, cujus erat mundi totius imperium, dignatus eſt ſervi nomen, & qualitatem ſubire: *Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ*, inquit per Prophetam Pſalm. 115. cum æterno Patre loquens. Voluit ille ex primo vitæ momento hoc nomine illi obtemperare; ſervitio illius libertatem, requiem, & gloriam ſacrificavit euſque, ut cum gaudio crucis mortem ſuſtineret: denique totus vitæ illius curſus a primo ad extremum uſque ſuſpirium non aliud fuit, quam jugis obedientia. Sudavit ille, laboreſque ſummos pertulit, ut ejus exequeretur imperia; cibus & eſca illius, ut ipſe teſtatur, fuit Patris voluntatem perficere; & ſi teſtatur Apoſtolus, illum hominem factum ſervi formam induiſſe, dicere poſſumus ipſum omnia veri ſervi munera obiiſſe, cum non aliud illi umquam fuerit conſilium, non mens, quam illius imperiis obſequendi, atque omnes mortales ad cultum ipſius adducendi.

Inter meras creaturas liquet, nullam fidelius Deo fuiſſe famulatam, & ut SS. Patres loquuntur, de Deo melius meritam fuiſſe, quam beatam Virginem. Neceſſe non eſt hoc in loco dicere, ipſam de propria ſubſtantia ſuppeditaſſe, unde ſancta efformaretur Salvatoris humanitas, illum lactaſſe, aluiſſe, omnibus illius neceſſitatibus conſuluiſſe, eaque omnia præſtitiſſe, quæ ſatis comperta ſunt; ſed ad probandum eum titulum, quo ſe ipſam vocavit ancillam nempe Domini eo in ſenſu, quo iſtic accipimus; *Ecce Ancilla Domini*, Luc. 1. neminem voluntati Dei magis paruiſſe, neminem diligentius, & fidelius leges illius obſervaſſe, neminem in ſe melius duo hæc conjunxiſſe, videlicet altiſſimam dignitatem cum humilis ancillæ qualitate, quoniam utriuſque officia perfectiſſime adimplevit.

Sanctæ Virginis exempl.

Apoſtoli aſſumpſerunt nomen ſervorum Dei tamquam glorioſiſſimum.

Si in veteri teſtamento Deus ſanctos Patriarchas atque Prophetas dignatus eſt nomine ſervorum Domini; in lege nova Apoſtoli ad legem hanc ferendam, ac nomen, & gloriam Domini omnibus terrarum plagis annunciandam deſtinati, quamquam eſſent eccleſiæ fundamenta, & evangelii præcones, quod officiorum omnium glorioſiſſimum eſt, non alium ſibi titulum, aut qualitatem vindicarunt, quam ſervorum ejus, a quo in adeo glorioſi muneris ſocietatem fuerant vocati.

Servitus, quam a nobis exigit Deus, eſt, ut ex credito nobis talento lucrum feramus.

Habemus in evangelio parabolam, quæ mirum in modum explicat, quam a nobis Deus exigat ſervitutem; eaque eſt de diſtributione talentorum, quæ paterfamilias tradit ſervis ſuis, ut ex illis induſtria, cura, & diligentia referant fructum. Diſtricta ratio, quam hic paterfamilias ex ſervis petit, ſatis illam præſignat, quam Deus ex nobis petiturus eſt occaſionum, & auxiliorum, quæ non defuere nobis aliquid propter illum operandi eo in ſtatu, ac loco, in quo nos ipſe conſtituit. Cum illi, qui cum quinque recepiſſet talenta, alia quinque lucratus fuerat, tum illi, qui duo tantum acceperat, & duo item acquiſiverat, non defuit merces: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* At quænam fuit ſors inutilis ſervi, qui creditum ſibi talentum humo ingeſta tumulaverat? Noſtis poſt acerrimam exprobationem in tenebras exteriores conjectum fuiſſe. Ipſi parabolam argumento applicate.

Tres in evangelio memorantur, quorum Salvator ſervitutem recuſavit.

Reperimus etiam in evangelio tres homines, qui Dei filium ſequi, & ex diſcipulorum ejus numero eſſe voluerunt, ſed quorum operam Salvator recuſavit. Primus audacter ad illum acceſſit dicens: Domine te quocumque ſequar; alter ab ipſo quidem Jeſu Chriſto invitatus fuit, ut eum ſequeretur: *Sequere me;* ſed rogavit, ut primum ſibi liceret patri ſuo parentare. Tertius denique ſummam præ ſe ferens voluntatem ſe ſe illius ſervituti devovendi, tempus petit, quo domeſticis rebus proſpiceret. Hæc tria ſunt characterum genera totidem hominum ſpecies indigitantia ad ſerviendum Deo non ſatis aptas. Primus deſignat ſuperbos, & ambitioſos, in eccleſia, & ſervitute Dei prælationes, dignitates, & gloriam tantummodo inquirentes; velut ille qui primus ſe ſe obtulit Salvatori, poſtquam ea conſpexerat miracula, quæ fiebant a diſcipulis, & qui ſe eamdem habiturum ſperabat poteſtatem, quemadmodum S. Auguſtinus animadvertit, atque hoc pacto magnam nominis celebritatem ſe comparaturum. Majus ineſt myſterium in repulſa, qua alterum rejecit; hic erat adoleſcens, qui ad perfectionem quidem pervenire cupiebat, ſed viam illuc perveniendi ingredi detrectabat; videlicet nolebat mundum, & parentes ſuos relinquere. Tertium denique rejecit ob cauſam, ipſi uni tantum exploratam; volebat enim de bonis ſuis diſponere, & inde amicos ſibi comparare, ut quodcumque caſus ferret, certum haberet refugium; vel expetebat tempus, neque defuiſſet illi cauſa, qua data fide ſe ſe poſſet expedire &c.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Quam glorioſum ſervire Deo.

S*Ervus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor.* Iſaiæ 49. Mirum ne eſſe debet, ſi Dei ſervi ob hoc nomen gloriantur, quandoquidem & ipſe ob tales ſervos gloriatur? Vulgo in terris qui regibus, principibuſque ſerviunt, gloriæ ſibi vertunt hanc ſervitutem, & reges beatos ſe putant, eo quod bonos, & fideles famulos habeant. Quod autem glorietur Deus, ſibi ſervitutem a creaturis adhiberi, quæ non aliud ſunt quam terræ vermes, ſi conferantur cum eo, quem in cœlo infinita cœleſtium ſpirituum multitudo adorat, hoc noſtram meretur admirationem; & nihilominus in Iſaia Propheta videmus Deum illi dicentem: *Servus meus es tu Iſrael, in te gloriabor.* Scio equidem, hæc verba præcipue ad Meſſiam, cujus figura Iſaias erat, referri; verum & ipſi conveniunt Iſaiæ, quem elegerat Deus, ut ejus opera populum Iſrael ad officium revocaret.

Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Joann. 12. Animo fingi ne poteſt major honor, & bonum glorioſius eo, quod Dei ſervis per hæc verba promittitur futurum, ut diſcumbant cum domino ſuo, & idem regnum poſſideant? Dei filius aliquid amplius pollicetur: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* Maximus honor, quo ſubditus affici poſſit, eſt a rege honorari: quid ergo erit honorari a rege regum? Verum quomodonam id fiet? Audite, & admiramini, quod ipſe Salvator apud S. Lucam cap. 12. dicit: *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Quis vidit umquam herum præcinctum accumbentibus famulis miniſtrare? Hoc tamen Dei filius pollicetur ſuis. Quis hoc credere poſſet, niſi ipſe teſtatur reliquiſſet? Cum illis aget, perinde ac e ſervis facti fuiſſent Domini; hæ magis validæ locutiones ſunt ad exprimendum pretium, in quo Deus ſuos famulos habet. Quam cæci ſunt homines, qui ignorant, quantum bonum ſit ſervire Deo.

Servire Deo regnare eſt.

Non dicam vos ſervos . . . . vos autem dixi amicos. Joan. 15. Jure Salvator amicos vocat eos, qui ſibi deſerviunt; quia *ſervire Deo regnare eſt.* Primo ſtatim intuitu oppoſitio quædam in his verbis adeſſe videtur, eſſe amicum, & ſervum, ſervire, & regnare, imperare, & imperata facere. Sed perfecta libertas in glorioſa ſervitute, quæ nos ſubjicit Deo, in hoc conſiſtit, quod nobiliſſimum noſtræ voluntatis exercitium, & vera poſſeſſio, quam habere poteſt homo ſui ipſius, invenitur in obedientia, quam præſtamus Deo, & in motu ſpiritus illius. Quemadmodum non eſt vim facere flumini, alveum illius in directum effodere; vel quemadmodum ſydera nullam patiuntur vim per impreſſionem intelligentiæ curſum eorum regentis; ita non conqueri poteſt homo, quod Deus vim aliquam ipſius inferat libertati, cum illum legibus ſuis ſubjiciens efficit, ut præſtantiori modo, & qui naturam illius magis deceat, operetur. Ideo S. Paulus in ſecunda epiſtola ad Corinthios cap. 3. aſſerit, ubicumque invenitur impreſſio, & motus ſpiritus Dei, perfectam inveniri libertatem: *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*; & in epiſtola ad Galatas hæc addit verba: *Si Spiritus ducimini, non eſtis ſub lege*; non ait non habetis legem, ſed non eſtis ſub lege; hoc eſt, Dei lex pro vobis non eſt jugum grave, ſed leve, & glorioſum. Hoc eſt Dei potius amicum eſſe, quam ſervum, hoc eſt regnare eodem tempore, quo ſervitus, atque obtemperatur.

Duobus Dominis ſerviri nequit.

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Matth. 6. Quid, Chriſtiani, ſcitis vos eſſe debere totos Dei, at voſmet fere totos impenditis dæmoni? Scitis unum eſſe Deum, qui ſexcentis, iiſque legitimis rationibus jus habet ad amorem veſtrum, veſtraſque actiones, & imperare poteſt, quodcumque ipſi libitum fuerit, quoniam in hoc mundo eſtis dumtaxat, ut illi ſerviatis; vos autem curas, affectioneſque veſtras cum indignis creaturis dividitis? ptaretis officia veſtra cum mundanis oblectationibus veſtris partiri? Verum ſcitote vobis facilius eſſe Deum omnino perdere, quam illum cum fallacibus mundi blandimentis conciliare; pervenire uſque ad licentiam, impietatem, atheiſmum, hæc omnia faciliora ſunt, quam mundi amorem, ac ſervitutem cum amore, & ſervitute Dei conjungere. Deus diviſam ſervitutem non recipit.

Lætitia ſervorum Dei toto cœlo major eſt, quam mundanorum lætitia.

Dediſti lætitiam in corde meo. Pſalm. 4. Lætitia ſervorum Dei eſt in corde, & in animæ centro, ubi propriæ verus eſt gaudii ſenſus; lætitia vero mundanorum, & ſervorum mundi exterio tantum eſt, & in corpore, quod ſexcentis flagitiis evertit, quæ natura in brutis animalibus corrigit, & quæ ratio in mundanis, & peccatoribus corrigere nequit. S. Auguſtinus poſt triſtem experientiam gaudii impiorum mox expertus gaudia bonorum, & ſervorum Dei, dicit peccatoribus nullum eſſe verum gaudium: *Peccatores non proprie gaudent, ſed geſtiunt.* Gaudio mundanorum idem ferme accidit, quod triſtitiæ eorum, qui veri ſunt ſervi Dei; ſuperficiale tantum eſt. Hinc ſe ſe colligere renuunt, intus enim inveniunt mare amaritudinis, quod momento voluptates omnes ſubmergit. Nequicquam ſimulant faciem hilarem, atque ridentem, & cor contentum; nullus eſt vir præditus virtute, qui per hos riſus, gaudia, externaſque felicitatis ſpecies non detegat eorum animi inquietas perturbationes. E contra docet experientia, nullum eſſe verum gaudium, nullas ſolidas voluptates, præterquam ſervire Deo.

Quomodo ſervien dum ſit Deo.

Ut ambuletis digne Deo. Ad Coloſſ. 1. At quomodonam *digne Deo* ambulare, eique ſervire pro meritis licet? Hoc verum eſt; ſed ſaltem illi ſerviendum eſt, uti poſtulat, & quantum poſſumus, noſtra obeuntes munera, & magna cum alacritate facientes, quidquid pro illis ſervitute facimus, nullum tempori finem, nullos laboribus, quos pro illius ſervitute ſuſcipere & poſſumus, & debemus, cancellos ponentes. Hæc erat mens S. Regis Prophetæ cum dicebat: Dominus magnus eſt, & quia magnus, illi quadam exceſſus ſpecie ſerviendum eſt: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Pſ. 47. Cum ſervimus creaturis, magnitudo ſervitutis, quam illis præſtamus, ſæpe vitio fortaſſe non caret; cum autem Deo, infinita magnitudo domini novum ſemper confert pretium, novumque meriti gradum animæ illi pro viribus inſervienti, & ſe nihil umquam pro illo ſatisfacere poſſe credenti.

Nullus eſt dominus, cui pejus ſerviatur, quam Deo, ab illis, qui ſe illius ſervos appellant.

Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Malach. 1. Hoc olim exprobravit populo ſuo Deus per Prophetam: Si Pater, ac dominus veſter ſum, ubi eſt honor, qui mihi tamquam patri, dominoque debetur? Ubi obedientia mandatis meis, & timor ne legem meam infringatis? Hic inanis eſt honoris titulus, quem mihi deferre vultis, quin aliquid præterea mihi præſtetis. Heu! Deus hic majeſtatis, & Dominus hoc ipſum nunc temporis quam jure pleriſque mortalium poſſet objicere! Quoniam nullus eſt in mundo dominus, cui pejus ſerviatur, qui minori habeatur in pretio, dicamne? qui a ſervis majoris afficiatur contumelia, quam Deus ſupremus rerum Dominus a pleriſque fidelium. Probrum eſt, ac indignitas inexplicabilis videre, quomodo a mundanis, & peccatoribus excipiatur. Sed quomodonam ab illis excipitur, qui alioquin ſe illi ſervire peculiariter profitentur? Illis confert gratias, quas reſpuunt, & quibus indeſinenter reſiſtunt. Quot ſanctæ inſpirationes, quas tamquam importunas rejiciunt? Sexcenta jubet, quin illi juſſa faciant, vel ſi faciunt, ægre, & gravate faciunt. Plurimi ſe multum feciſſe arbitrantur, ſi illius cultui exiguum temporis intervallum mane, & veſpere impendunt, & præterea fortaſſe dimidium horæ, quo ſacris interſunt myſteriis. Attamen quid diceretur de ſervo, qui domino ſuo unam, duaſve per ſingulos dies, idque ſi reliqua negotia permitterent, horas impenderet, & aliam temporis partem pro libidine, & pro ut voluntas ferret, inſumeret? Ullus ne dominus eſſet, qui hoc pretio ſibi ſervitutem vellet præſtari? Hæc tamen ratio eſt, qua agimus cum Deo ſupremo rerum Domino, & cui nos ſervire gloriamur.

Propoſitum numquam recedendi a ſervitute Dei.

Numquid & vos vultis abire? Joann. 6. Numquid & vos, ut alii, me deſerere vultis? Hoc dicebat Salvator diſcipulis ſuis videns ſe ab illis derelictum, qui ipſum fuerant ſecuti. En, Apoſtoli, ad id redactus ſum, ut vos tantum habeam ſectatores; numquid & vobis ſuboritur tentatio alium ſequendi Dominum, & me ſolum illic relinquendi? *Numquid & vos vultis abire?* Chriſtiani, videmus divinum hunc Dominum noſtrum fere ab omnibus eſſe derelictum. Si plerorumque mortalium vitam intuemur, nullus videtur amplius eſſe Chriſtianiſmus, nulla religio, & ſi judicium ferendum eſt ex vita, quam ducunt, ubique videntur inutiles ſervi, aut deſertores infames eorum, quæ in baptiſmo polliciti ſunt. Mundi idolum omnia trahit ad ſe; omnia ſub voluptatis jugo cedunt. Num & ipſi recedere volumus ab illius ſervitute, & meditamur a legitimo hoc, ſupremoque Domino deficere? *Numquid & vos vultis abire?*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

S*Erviens Deo animus recte imperat corpori; hincque ipſi Domino ratio ſubjecta recte imperat libidini, vitiiſque cæteris.* Aug. lib. 19. de Civ. cap. 21.

Ubi homo Deo non ſervit, nullo modo poteſt juſte animus corpori, aut humana ratio vitiis imperare. Id. ib.

Libera ſervitus eſt, ubi non neceſſitas, ſed charitas ſervit. Id. in Pſ. 99.

Omnis creatura, velit, nolit, uni Deo, & Domino ſuo ſubjecta eſt; ſed hoc admonemur, ut tota voluntate ſerviamus Domino, quoniam juſtus liberaliter ſervit, injuſtus autem compeditus ſervit. Idem, lib. de agone Chriſtian. cap. 7.

Quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat. Idem, lib. de vera Relig. cap. 48.

Vis ut ſerviat caro tua animæ tuæ? Deo ſerviat anima tua: debes regi, ut poſſis regere. Idem in Joann.

Magna felicitas eſt eſſe in domo Domini ſervum, etſi cum compedibus. Idem, lib. 1. de moribus Eccleſ. c. 12.

Subjectione animus Deo propinquat. Ibid.

Simul & ſervus es, & liber: ſervus, quia factus es: liber, quia amaris a Deo, a quo factus es; animus illo ſolo dominante liberrimus eſt. Idem, ibidem.

Feciſti nos ad te Deus, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Idem, in Confeſſion.

Quam ſuave mihi ſubito factum eſt carere ſuavitatibus nugarum! Et quas amittere metus fuerat, amiſiſſe gaudium fuit. Idem, ibid.

Dulciores ſunt lacrymæ pœnitentium quam gaudia theatrorum, Idem.

Grandis dignitatis eſt & meriti, eſſe ſervum Domini. Hieron. in Pſ. 15.

Si ſol & luna, & ſtellæ Deo ſerviunt, quare ego non ſerviam? cœlum ſervit, & terra non ſervit, & infelix homo non ſervit? Idem in Pſ. 91.

Nulla major eſt dignitas, quam ſervire Chriſto. Ambroſ. l. de vid.

Servit quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel mœrore dejicitur; ſervilis eſt enim omnis paſſio. Idem, de vita beata lib. 2.

Peccator intra ſe dominos habet, intra ſe ſervitutem patitur. Idem.

Nemo poteſt in una & eadem re omnipotenti Deo ſervire, atque ejus hoſtibus gratus exiſtere. Gregor. Homil. ſuper Ezech.

Beata voluntas, quæ ſerviendo comparat libertatem: miſera ſervitus, quæ generat libertatis exceſſum. Chryſoſtom. in illud Iſaiæ, ſi volueritis & audieritis me.

Libertate nobilior eſt ſervitus Chriſti. Origenes l. 1. in cap. 1. Ep. ad Rom.

Nihil eſt quod poſſit aut debeat præferri ei, qui verus eſt Dominus & verus Pater. S. Paulinus, Ep. 25.

In hoc facti ſumus, ut boni ſimus, & noſtro ſerviamus authori; contra præcepta cujus agentes contra naturam agimus. Idem. Ep. 25.

Subjecti ſumus Deo, ſed non ſumus omnino ſubjecti, quia ex nobis naſcitur, quod divinæ renititur juſſioni. S. Fulgentius, Ep. 4.

Hæc ſervitus (nempe Dei) non enerat, ſed honorat; abſtergit ſervitutis maculam, non inurit. Chryſol. Ser. 14.

Dato, non accepto pretio, miſeræ nos vendimus ſervituti. Idem, Serm. 1. de Prodigo.

Hæc eſt gloria hominis, perſeverare, & manere in Dei ſervitute. S. Irenæus l. 4. c. 28.

Creator ille eſt, tu creatura; tu ſervus, ille Dominus; ille figulus, tu figmentum: totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui & te fecit, & bene fecit tibi. Bern. Serm. de quadrupl. debito.

O libera ſervitus! o ſervitium ſupra omnes dominationes eximium! quibus talis lætitia tribuitur, qualis in regnorum gloria non habetur. Caſſiodorus, in Pſ. 99. Ubi dicitur, ſervite Domino in lætitia.

Tunc ero meus, cum fuero tuus, o Domine. Idem.

Juxta rei veritatem ſervi ſumus, licet propter gratiæ abundantiam filii Dei nominemur & ſimus. Rupertus Abbas, in c. 17. Joannis.

Non ſervi cupiditatis, ſed ſervi per gratiam efficimur charitatis. Aug. lib. contra Adimantum, c. 17.

Placet tibi homo ſervus fidelis, & tu non vis eſſe Deo fidelis; qui habes ſervum, attende quia habes Dominum. Idem, in Serm. Commun. Serm. 50.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hôc in argumento depromi poſſit.

Quid ſit ſervire Deo

DEi ſervum eſſe glorioſa dignitas eſt, qua tegitur quidquid humile, ac turpe eſt in ſervitute, ad quam eſſentiæ noſtræ conditio, peccatum genus, & jus gentium homines redigere conſueverunt. Illa, quam ipſi debemus Deo, definiri poteſt obedientia amoris refertiſſima ſupremo ejus domino, & ſubmiſſio, quam ob cauſas omnes, quæ fingi poſſunt illi debemus; cui tamen nos æquo ſubiicimus animo integre noſtram voluntatem, actiones, perſonaſque ipſius ſervitio devoventes; ita ut toti ſimus illius, toti propter illum, atque non niſi propter ipſum vivamus, ut inquit Apoſtolus. Noſtra igitur ſervitus eſt pertinere ad Deum modo prorſus recenti, quem in baptiſmate vovimus, & cui ſolemniter noſmet adegimus, ita ut illi ſerviamus, toti ad illum ſpectemus, nulla ſit in vita noſtra cogitatio, actio, tempus, quod ipſi ſacrificandum non ſit; quippe ad illum pertinemus eodem pacto, quo ſervus ad dominum ſuum pertinet, neque aliquid bonorum, valetudinis, virium, vitæque habet, quod ad eumdem non ſpectet. Hoc ipſi profitemur, cum Chriſtianorum qualitatem recipimus, quæ, ut ita dicam, nos a creatis quibuſcumque rebus avellit Deo unice vacaturos.

Deus Nos creavit, ut illi ſerviremus, & ob id unum in mundo ſumus.

Hoc primum eſt noſtræ religionis principium, & primum, quod nobis præbetur, documentum, finem, propter quem in mundo ſumus, eſſe, ut ſerviamus Deo, qui nos in eodem conſtituit; & cui debemus & noſmet ipſos, & creaturas omnes, quarum perfruitionem nobis non permittit, niſi quatenus media ſunt eidem ſerviendi: ita ut cum voluntatis noſtræ perturbatione nequaquam noſmet illius imperiis ſubmittimus, non ſolum vita, quam nobis conceſſit, abutamur, verum etiam agamus contra naturæ finem quæ in omnibus operibus ſuis nil ſpectat aliud, quam Creatoris gloriam, atque ſervitium: *Omnis creatura factori deſervit.* Sapient. 6.

In quo cōſiſtat ſervitus, quam debemus Deo.

Cum de ſervitute Dei loquimur, ſupponendum eſt juxta Scripturarum locutionem laudare, honorare, glorificare, adorare Deum, illi ſervire, & obſequi ſynonyma eſſe, & unum ac idem ſignificare. Sed quia hoc munere multo melius bona, ſanctaque vita defungimur, quam verbis; & operibus præſertim Deus in veritate colitur, eique ſervitur: hinc fit, quod vita noſtra eſſe debet jugis adoratio, perpetua laus, cultus, honor, & ut verbo me expediam, perpetua ſervitus exhibita Deo.

Explorata veritas eſt, creata omnia, quamlibet pro modulo ſuo, ſervire Deo; ſed hoc faciunt ex neceſſitate quadam, quæ ab illius eſſentia ſeparari non poteſt. Hæc eorum natura eſt, hic finis, hac mente creavit illa Deus, cui adverſari non poſſunt. At aliud de homine dicendum non eſt, a quo Deus liberam exigit ſervitutem; hic ex officio debet illum metuere, amare, colere, eique ſervire, neque ab hoc officio poteſt ſe diſpenſare, quin violet jus divinum præſtantiſſimum præ alio quovis jure, cui innitantur obligationes juſtitiæ, quæ inter homines eſt. Exempli gratia, quod filium debet patri tamquam filius, proprie non eſt officium juſtitiæ, ſed pietatis; & nihilominus debet illi obedientiam, ſervitutem, honorem, operam, & opem in neceſſitatibus; ita ut ſi eidem deeſſet, majorem committeret injuſtitiam, quam ſi hoc contra alium quemlibet hominem faceret. Ita quod homo creatori ſuo debet, utrum ſit juſtitiæ officium, necne, certe officium eſt, cui ſi deſit, nocentior eſt, quam ſi alteri cuicumque injuſtum ſe præbeat; quia officium hoc eſt ordinis ſuperioris illis juſtitiæ communis, ac illud reddere tenetur ob præſtantiorem virtutem, quæ religio eſt.

Dei ſervitus non attollit, non dejicit.

Cum Dei ſervitio adhæremus, ac noſmet voluntati ipſius rebus in omnibus perficiendæ ſubjicimus, tantum abeſt, quod noſmet dejiciamus, ut ad altiſſimum immo dignitatis gradum evehamur: quippe anima noſtra ſe ſe integre ſubmittens Deo ſupra ſe non aliud habet, niſi primum entium omnium, ac ſe ſe a reliquis quibuſcumque efficit independentem. In elevatione hac omnem nanciſcimur felicitatem, cui pares eſſe poſſumus; quo enim res aliqua propior eſt ſuæ perfectionis principio, eo affluentius illius percipit communicationes; quapropter S. Auguſtinus lib. 1. de moribus eccl. cap. 12. ait, per ſubmiſſionem Deo nos ad illum fieri propiores: *Subjectione animus Deo propinquat.* Et Sanctus Irenæus lib. 4. contra hæreſ. cap. 75. addit, hanc eſſe viam non ſolum ad veram magnitudinem, & felicitatem, verum etiam ad horum bonorum ſtabilitatem.

Servi Dei illius quoque ſunt amici.

Hæc eſt prærogativa, quæ nobilem comitatur ſervitutem quam veri fideles profitentur, quod nempe ſervi Dei ſimul illius ſunt amici, quamquam videatur aliqua inter amicitiam, & ſervitutem ineſſe oppoſitio; amicitia quippe exigit æqualitatem, atque inter homines ſervi numquam pares ſunt dominis ſuis. Verum novit Deus invenire temperamentum duas haſce qualitates in eodem ſubjecto conciliaturus, illum, qui ſervit ſibi, ad naturæ ſuæ attollens participationem per communicationem gratiæ ſanctificantis: *Per quam efficimur divinæ conſortes naturæ*, quemadmodum inquit princeps Apoſtolorum. Neque dixeris, Salvatorem ipſum aliquam ibi agnoviſſe oppoſitionem, cum Apoſtolis ſuis ait, ſe non vocaturum jam illos ſervos, quia illis ſua aperuit ſecreta conſilia, & quia ſervus ignorat domini ſui voluntatem, qui illi mentem ſuam minime pandit, cum ipſe illos quidquid a Patre didicerat, edocuiſſet. Sciendum quippe eſt, ſervi nomen nonnumquam humilem innuere ſervitutem, quæ vix diſtat a captivitate; atque hoc in ſenſu Dei filius dicebat illis. *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

Deus ſervos habet diverſorum ordinum & characterum.

Generatim loquendo dicere poſſumus Dei ſervitutem complecti univerſam morum diſciplinam. Adorare Deum, illum metuere, illum amare, illi ſervire; in hoc enim totus homo conſiſtit. *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo.* Inanimatæ creaturæ ſerviunt ipſi, quin illum agnoſcant; impii, quin ſciant, ſe illi ſervire damnati, quin illi ſervire velint; juſti, ac boni ſoli ſunt, qui cum cognitione, gaudio, & amore illi ſerviunt. Animadvertendum eſt tamen, habere Deum ſervos diverſorum ordinum, & meritorum; ſervos habet omnium ſtatuum, ætatum, ſexuum, conditionum. Illi tamen vulgo in duas claſſes diſtingui conſueverunt; ſcilicet in eos, qui peculiari titulo ſe illius ſervituti devoverunt, cujuſmodi ſunt eccleſiaſtici altarium cultui devoti, & religioſi in ordines varios diviſi, ſed omnes divino cultui addicti in variis miniſteriis, quæ omnia ad eumdem finem contendunt. Alii vero ſunt Chriſtiani generatim, qui ſervire debent Deo pro vocatione ſua, ad unguem mandata illius obſervantes, atque ſtatus ſui, & religionis officia obeuntes. Cum autem de ſervitute Dei loquimur, de Chriſtianis omnibus ſine ulla ſtatus, & conditionis diſtinctione loquimur; omnes enim eſſe debent ſervi Dei, & glorioſi hujus nominis munera obire.

De illis, qui Deo ſerviunt per timorem, & de illis qui eidem adhærent per amorem.

Inter eos, qui ſerviunt Deo, & ſe ſe legibus ejus ſubjiciunt, Apoſtolus ad Romanos cap. 8. duo memorat genera, cum ait; *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Ex hujus Apoſtoli ſententia ſpiritus ſervitutis eſt ille, qui efficit ut propter timorem agamus, ſpiritus vero adoptionis, qui efficit, ut propter amorem operamur. Timor ſervilis facit mancipia, & amor filios efficit. Judæi, qui vulgo propter pœnarum timorem agebant, ſervi erant; Chriſtiani, qui propter amorem operantur, ſunt veri filii: ubi cum Theologis animadvertendum eſt, quemadmodum non omnis timor excludit amorem, ita non omni amore timorem excludi. Adeſt, inquiunt illi, timor filialis, qualis eſt filiorum patres ſuos ſimul amantium, atque timentium. Hic non eſt timor ille, qui ſervos facit, quoniam Deus illum in lege nova & imperat, & laudat, ac paſſim illum cum ſervitute, quam a nobis exigit, conjungit. Sed timor, qui proprius eſt ſervorum, & quem ille ſervilem appellat, ille eſt, qui non ſolum nullo Dei amore permixtus eſt, ſed illum excludit, ſaltem tacite, quia retinetur amor peccati, quod vellemus committere, & quod committeremus, niſi metueremus ſupplicium. Quod neceſſario conſiderandum eſt, ut intelligatur ſanctus Auguſtinus, qui in hæc verba Pſalm. 99. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*; ait magnum eſſe bonum ſervire in domo Dei, quamvis etiam ibi vinculis, catenis, hoc eſt ſuppliciorum metu retineremur.

Servire Deo non prohibet, quin hominibus ſervire poſſimus, & debeamus.

Quamquam oraculum hoc ex ejuſdem veritatis ore emanarit, neminem duobus dominis ſervire poſſe, ac inde neceſſario ſequatur nobis uni Deo ſerviendum eſſe, quoniam ſupremus eſt Dominus noſter, ac ſolus Dominus antonomaſtice; hoc tamen non prohibet quominus hominibus etiam ſervire poſſimus, & debeamus; ſed hoc fieri debet cum ſubordinatione ad ſervitutem Dei, quia ille ipſe hoc vult, & jubet; & cum hoc pacto ſervimus hominibus, Deo ſervimus, neque huic ſerviremus, ſi aliter faceremus. Sine hoc ordine, & hac ſubordinatione peccator, qui & Deo, & mundo ſervire vult, non uni domino ſervit, ſed pluribus, eique jure applicari poſſunt hæc Deuteronomii verba: *Si audire nolueris vocem Domini, ſervies Diis alienis, qui non dabunt tibi requiem die, ac nocte.* Cum autem hi domini, ac dii non ſint naturales domini, neque ſit veri dii, ſed tyranni, fictaque numina, immites erunt, & immiſericordes: *Diis alienis.* Ad hæc domini erunt impotentes, ac intolerabiles, & inceſſanter torquebunt ſervientes ſibi quin vel interdiu, vel noctu requiem illis permittant: *Qui non dabunt tibi requiem die, ac nocte.*

In quo conſiſtat libertas filiorum Dei, & eorum qui huic fideliter ſerviunt.

Prima & præſtantiſſima hominis qualitas, ſanctus Auguſtinus inquit, eſt carere criminibus, quæ tyrannidem exercent in animam, ac dominari crudelibus cupiditatibus ſuis, quæ tot ferme ſervos efficiunt, quot in terris ſunt homines: *Prima libertas eſt carere criminibus.* Hoc pacto juſtus ſe ſe turpi inordinatarum affectionum captivitate liberans incipit poſſeſſionem acquirere glorioſe libertatis filiorum Dei, de qua Apoſtolus, loquitur.

Deo cultum debemus, qui aliquo modo ſit congruus magnitudini illius, & qui quantum fieri poteſt exprimat dominii illius dignitatem, atque præſtantiam. Alioquin tota religio, quæ non aliud eſt, quam publica confeſſio imperii, & infinitarum perfectionum creatoris, quin in illius gloriam cedat, eum dedecorat, & afficit contumelia: ideoque ille ſemper imperfecta ſacrificia perhorruit, quia non ſatis apte tribuunt ideam entium omnium perfectiſſimi. Quæ ſi vera ſunt, uti nefas ambigere; quid ſentiendum eſt de modo, quo plerique Chriſtiani Deo famulantur? quid de ignavia, qua religionis ſuæ obeunt munera? quid de modico zelo, quo adnituntur, ut Deo ſerviatur ab illis, qui ſibi ſubditi ſunt? Quam frigide, & oſcitanter ea, quæ ad pietatem pertinent, operantur? Ulluſne dominus eſt, qui ſervum pati poſſit ita ignavum, negligentem, & in nullo diſcrimine habentem, quidquid ad ipſum refertur.

Rationes quæ nos cogunt ſervire Deo ea qua poſſumus fidelitate, & zelo.

Tenetur homo ex naturæ ſuæ conditione agnoſcere Deum pro ſupremo, & legitimo domino; quamobrem debet illi bona, perſonamque ſuam devovere, omneſque actiones ſua ad illius gloriam referre; & hoc ipſi Deo dicimus, eaque juſta idea eſt, quam concipere debemus de ſervitute, quam illi debemus. Et ratio eſt, quia ad illum ſpectamus, & ſumus magis illius, quam noſtri, quemadmodum loquitur S. Auguſtinus, qui profitetur hominis intereſſe hanc ſervitutem cognoſcere tamquam naturæ ſuæ prærogativam, & proprietatem ab eſſentia ſua inſeparabilem; & ſanctus hic Doctor addit hanc fuiſſe cauſam imperii, quod Deus primo parenti noſtro irrogavit, quo uſus eſt juræ poteſtatis, atque dominii.

Tenemur ſervire Deo propter magnitudinem, & præſtantiam naturæ ipſius, quæ toto cœlo ſuper entia omnia creata elevata; & ratio hæc eo majorem habet vim, quod innititur ipſis naturæ principiis docentis id, quod nobilius, ac præſtantius eſt, naturaliter rebus illis dominari, quæ minus ſunt nobiles, quod Philoſophus lib. 1. Ethic. c. 13. probat inductione entium omnium, quæ ſunt in natura, in humana politica, & in regnorum regimine; ita ſine hoc ordine, atque ſubordinatione nihil eſſet ubique niſi perturbatio, atque confuſio. Ut autem ex hoc principio argumentemur, quid ſit homo, & quid omnes homines ſimul, ſi eos comparemus cum Deo, coram quo mundus univerſus, Angeli, homineſque minus ſunt, quam aquæ gutta cum oceano comparata, vel atomus, ſi cum tota terrarum maſſa conferatur. Nonne propter hunc præſtantiæ titulum, quem habet ſupra nos, omnem illi operam, omnemque ſervitutem conſecrare debemus?

Deo ſerviendum eſt tamquam Creatori noſtro.

Dominium, quod in nos habet Deus, non innititur ſolum præſtantiæ eſſentiæ ipſius, ſed etiam ſubmiſſioni, quam illi tamquam Creatori noſtro debemus. Si enim rei alicujus auctorem eſſe, eſt jus habere ad illam poſſidendam, eaque, prout libitum fuerit, utendum; numqud prolixa opus eſt argumentatione, ut judicemus Deum per hunc Creatoris titulum alios quoslibet titulos complectentem, quibus rei alicujus domini efficimur, jure a nobis expetere ea omnia, quæ voluerit, ac nos ad ea præſtanda teneri? Cum figulus teſtaceum vas effinxit, nonne illud diſponere poteſt, prout ipſi placuerit? Parentes nonne naturales ſunt domini filiorum quibus vitam dederunt, & nonne jure ab illis expetere poſſunt eam ſervitutem, quæ viribus, & conditioni illorum ſit congrua? Quis autem ignorat, Deum ſine ulla comparatione magis eſſe vitæ noſtræ auctorem, quam eos, quibus uſus eſt, ut nobis vitam tribueret; quoniam hi non aliud ſunt quam inſtrumenta, quibus ipſe uſus eſt.

Et tamquam Redemptori.

Ratio quarta cæterarum eſt æquiſſima & validiſſima; inde vero deſumpta eſt, quod redempti fuimus pretio magno, ut inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 6. *Empti eſtis pretio magno.* Emptionis autem hujus pretium non fuit aurum, neque argentum, ſed ſanguis adorabilis, & pretioſus Salvatoris, qui eſt homo Deus, addit S. Petrus in 1. epiſt. cap. 1. ita ut emptionis titulo pertineamus ad illum tamquam ſervi tanto pretio redempti. Verum ob id quid ipſe petit? S. Paulus his docet verbis: *Ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* 2. Corinth. 5. Poſt adeo inſigne beneficium exigit ſolum, ut propter ipſum vivamus, ut omnes cogitationes noſtræ tendant in ipſum, ut vitam noſtram illi ſacrificemus, quemadmodum ille ſuam pro nobis ſacrificavit.

Magnitudo mercedis,

Quinta ratio deſumitur ex magnitudine mercedis, & glo-

quam ſervis ſuis pollicetur,

& gloriæ immortalis; quam ipſe pollicetur illis, qui ſibi fidelem ſerviunt ſervitutem. Etenim ſi pro levi mercede libertatem noſtram impendimus, nobiſmet vim facimus, principis alicujus viri ſervitutem ſubimus; ſi ſexcentis mortis periculis noſmet objicimus, ut mortali principi, qui ſæpe meritorum noſtrorum obliviſcitur, eaque non remuneratur, obſequamur; qua fidelitate, atque conſtantia nobis ſerviendum eſt regi cœlorum, totum regnum ſuum promittenti in noſtræ ſervitutis mercedem, & qui nullam actionem propter ipſius amorem factam ſine præmio abire ſinet; eique gloriæ coronam attribuet? &c.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Sumus Dei, & propter Deum, ideoque illi ſervire tenemur.

QUod ſum minus mihi charum eſſe debet, quam ille, propter quem ſum; hic me fecit propter ſe, & non propter me ipſum, videlicet ut illum amarem, colerem, illi ſervirem, non autem, ut amarem me ipſum, atque ut meam tantummodo utilitatem ſpectarem. Si quis cor habet alienum ab hoc noſtrummet ipſorum ſacrificio, quod illi facere debemus, qui creavit nos, hujus cœcitatem deploro ac miſereor videns illum ſui ipſius ſervum; Deumque obſecro, & obteſtor, ut eum liberet, eumque doceat, quid ejus interſit. O Deus! Tu nequaquam feciſti cor hominis cum hac adeo monſtroſæ proprietatis propenſione. Rectitudo hæc, in qua Scriptura nos docet illud a te creatum fuiſſe, nequaquam in nobis poſita erat, ut ſui juris eſſet, ſed illius, qui fecit nos propter ſe: ſed homines fieri volunt ſuimet ipſorum domini, omniaque propter ſe facere, vel ſaltem nonniſi cum quibuſdam conditionibus ſe ſe Deo mancipare. Monſtroſa proprietas! Ignorata Dei jura! Creaturæ ingratitudo, atque inſolentia! Miſerum nihil, quid habes, quod tuum ſit? Nihil habes, quod ad te ſpectet, nihil quod tibi a cœlo profectum non ſit, & ad cœlum non debeat reverti. Quidquid in te eſt, clamat contra te pro Creatore; tace ergo creatura, quæ temet aufers Creatori ſuo, memento te in mundo eſſe, ut illi ſervias. *Ex manuſcripto, quod Cameracenſi Epiſcopo acceptum refertur.*

Deus ipſe creaturam facere nequit, quæ eidem ſervire non teneatur.

Cum ſupremum, abſolutumque dominium bonum ſit a divinitate inſeparabile, creaturæ omnes illi neceſſario ſubditæ ſunt; & quantumvis Deus homini libertatem contulerit tamquam naturæ ipſius prærogativam, tamen illum diſpenſare non poteſt, quominus ſibi ille ſubjectus ſit, neque alium ipſi finem poteſt præſcribere, quam ut ſit pro illo, a quo fuit creatus. Poteſt ille quidem creaturam ex nihilo educere, eamque ad eum magnitudinis gradum evehere, ut ejus poteſtas ſe ſe quocumque extendat; poteſt ille quidem tantam intelligendi vim conferre, ut infinita cognoſcat objecta, ſed nequit illam ita magnam efficere, ut non ſit ſemper a Creatore ſuo pendens, eique ſervire non teneatur tamquam ſupremo Domino, cui debet, quidquid eſt. Nequicquam igitur impii glorioſum, & ſuave Domini jugum excutientes dicunt ſe non ſervituros: *Confregiſti jugum meum, & dixiſti; non ſerviam.* Jerem. 2. Inviti hoc, vel illo modo ſerviunt. Facilius eſt invenire fluvium ſine fonte, quam creaturam a Deo non pendentem. Independentia perfectio eſt incommunicabilis; & quo pluribus a Deo perfectionibus aucta eſt creatura, eo magis ab eo pendere, eique ſervire tenetur; quia hi totidem tituli ſunt, propter quos hoc facere debet. *Pater Texier in Adventu ſermone de ſervitute perturbationum animi.*

Infelicitas eorum, qui Deo ſervire detrectant, ut ſuis pareant affectibus.

Millies miſeri ſunt fideles illi, qui ſæculi licentia illecti, cauſantes ſe cogitare, loqui, & agere velle, quemadmodum ipſis placuerit, turpiſſimam ſervitutem ſuam nequitiæ contegunt integumento, S. Petrus Apoſtolus *in* 1. *Epiſt. cap.* 2. inquit, quod perperam libertatis nomine appellant: *Velamen habentes malitia libertatem.* Sibi promittunt vivere liberos, hoc eſt ad arbitrium, libidinemque vitam traducere; ſuum ſequi volunt ingenium, ſuamque voluntatem perficere; nec vident, ſe in hoc fieri corruptionis mancipia, videlicet ſervos naturæ per peccatum corruptæ, & in qua dæmon tyrannicum exercet imperium, ut inquit princeps Apoſtolorum: *Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſint ſervi corruptionis,* 2. Petr. 2. In hoc calamitoſiſſimo ſtatu, in quo a Dei ſervitute receſſerunt, invenitur quidquid fingi poteſt ad veram ſervitutem efficiendam: tyranni ſine numero, catenæ, & compedes graviſſimi, acerbiſſima tormenta. Hoc item axioma eſt, inquit ſanctus Petrus, apud populos omnes probatum ſecundum armorum jus, victo victoris legem eſſe ſubeundam. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Quamobrem Chriſtianus ſe vinci ſinens a dæmone ſimul fit ſervus illius; atque tot habet dominos, quot ſunt dæmones, qui illius vitiis, & cupiditatibus utuntur, quibus in turpi ſervitute adſtrictum tenent. *Idem.*

Felicitas noſtra nonniſi in ſervitute, quam Deo præſtamus invenitur.

Qui ex ſe non habet, quod ipſum felicem reddere debet, ab iis pendet rebus, a quibus ſuam emendicat felicitatem; quæ ſi illo minores ſunt, eorum vere ſervus eſt; quippe omnis dominatio, quæ rationabilis non eſt, atque inferiorum, ſupernarumque rerum ordinem perturbat, eſt tyrannis, ac ſubjectio, per quam lex accipitur, ſervitus eſt, & captivitas; præterquamquod qui ſe hoc pacto captivat, contra ſe provocat poteſtatem illius, quem ſua rebellione laceſſit, recedens a ſervitute legitimi domini, ad quem ipſe pertinet. Supremus hic dominus non alius eſt, quam Deus, qui efficit, ut ille ſentiat vim, & juſtitiam ſuæ dominationis, per eas pœnas, quas ab illo ſumit. Quamobrem olim populo ſuo per Prophetam Ezechielem cap. 7. minitabatur: *Et ſcietis, quia ego Dominus percutiens.* Noluiſtis voſmet mihi ſubjicere, neque obtemperare tamquam fideles ſervi; intelligetis, me veſtrum eſſe dominum ex pœna inſigni, quam a vobis ob rebellionem veſtram depoſcam. Ego ſum Dominus percutiens rebelles, ac oſtendens poteſtatem meam, illos in neceſſitatem adducens ad officium ſuum revertendi: ita ut felicitas, quæ poſſidetur ab iis, qui libertate fruuntur, nequaquam in hoc ſita ſit, ut nullam agnoſcant dominationem, ac nulli domino pareant, ſed in hoc, ut uni illi pareant, qui naturaliter; & omni jure Dominus eſt rerum omnium, & qui noſtram non expetit obedientiam, & ſervitutem, niſi ut in æternum nos beatos efficiat. *Liber cui titulus: Sapientia chriſtiana.*

Cum voluptate pro Deo ſervitur; vel potius nullum niſi in Dei ſervitute verum gaudium invenitur.

Anima voluptate carere non poteſt, & gaudium, ſi Div. Chryſoſtomo credimus, cauſa eſt univerſalis, propter quam omnes homines agunt. Neceſſario igitur opus eſt, aliquam in Dei ſervitute inveniri voluptatem. At quæretis, quanam in re voluptas iſta conſiſtat? Dico autem, Fideles, conſiſtere in amore maximo, ſuaviſſimoque objectorum omnium, qui Deus eſt; in jucunda, aſſiduaque perfruitione illius, quod amatur, & certa ſpe eodem in æternum perfruendi. Hic locus non eſt vobis aperiendi tres hos uberrimos fontes cœleſtium, & ineffabilium deliciarum, præterquamquod nulla ſatis eſſe poteſt eloquentia ad id tradendum illis, qui numquam illas experti ſunt; verum quaſdam offeremus conjecturas, ex quibus intelligere liceat, voluptates ſervorum Dei voluptatibus impiorum eſſe præſtantiores. 1. Quia hæ præ illis relinquuntur. A quibus autem? Ab illis, qui utraſque experti ſunt. Dicendum eſt igitur in Dei ſervitute plus ſuavitatis percipi, quam in ſervitute mundi, & in omnibus terræ deliciis. Ad id probandum ſolum ſufficit ſancti Auguſtini exemplum, & ejus teſtimonium poſt plurimorum annorum experientiam par eſt omnibus argumentis, quæ ratio, & naturale lumen nobis poſſent ſuppeditare: *Nemo dat fontem pro gutta,* inquit ille. 2. Videmus eos, qui ſe ſe terrenis ingurgitant voluptatibus, eas indeſinenter eſurire, ac ſitire, ac numquam credere, quod illæ ſibi ſufficiant, ſed in anima ſemper inane aliquod remanere ſpatium numquam replendum; cum e contra unicum cœleſtis ejus conſolationis momentum, quæ in Dei ſervitute guſtatur, cumulat animam dulcedine, qua repletur, & quodammodo inebriatur; quæ res mulcet ea mala, quæ aliunde in mundo perferuntur, eaque efficit ſuaviſſima: *Superabundo gaudio in omnibus tribulationibus meis,* dicebat ſanctus Paulus, 2. ad Corinth. 7. Mundi gaudia neminem umquam ita loquentem induxerunt; e contra vero, qui præ cæteris illa perguſtavit, Salomon videlicet, ſe ipſum cohibere non potuit, quominus diceret: *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Eccleſ. 2. Ubique inane, ac dolor; inane in ipſa perfruitione, & paulo poſt dolor, & pœnitentia. 3. Undenam in voluptuoſiſſimo quolibet proficiſci poteſt terribilis hæc inconſtantia, propter quam ab una ad aliam migrat voluptatem, ab uno ad aliud objectum, tanta levitate, ac ſollicitudine? Ne dixeris, hunc eſſe humanæ imbecillitatis affectum, cujus mens natura ſua mobilis eſt, & quam nullum bonum figere poteſt. Non enim videmus in ſer-

in ſervitute Dei eos, qui ſolide in bono confirmati ſunt, hoc pacto mutari. Videmus illos quadraginta, & quinquaginta annos jugiter pietatis exercitiis intentos, bonis operibus, atque charitatis officiis, nec mortificationi vacantes, quin ullo umquam afficiantur faſtidio; ſed ſemper recenti cum voluptate, ac magis exquiſita, integraque oblectatione. Nonne magnæ requiruntur voluptates ad ſuperandum illud incredibile ſtudium, quo ad mutationem ferimur? *P. de la Colombiere ſermone de Transfiguratione.*

Pernicioſa eſt plerorumque mortalium illuſio, quibus perſuaderi nequit, chriſtianam vitam, ac Dei ſervitutem ſuas habere oblectationes, & voluptates. Illam amplecti, idem eſſe putant, ac ſe ſe in triſtitiæ abyſſum præcipitem dare, atque ſe adhuc viventem ſepelire. Quod ſi verum eſſet, chriſtiani Auditores, quomodo fieri poſſet, ut tot homines omnium conditionum, ætatum, ſexuum, publica profeſſione ſeſe Dei ſervituti devoverent? Et ipſi noſtis, illos ibi magis puris oblectationibus perfrui, quam quibus ſenſus affici conſueverunt, eoſque illic voluptatem magis ſolidam, & gaudium majus invenire . . . Ideo Iſaias cap. 48. populum Iſrael alloquens Dei verbis ait illi: *Utinam attendiſſes ad mandata mea, fuiſſet utique quaſi flumen pax tua.* Si animum appuliſſes ad præceptorum meorum obſervantiam, atque hoc pacto fidelis cultui meo adhæſiſſes; tua pax, felicitas, gaudium fuiſſet fluminis inſtar, quod ſemper plenum eſt, & numquam areſcit. Gaudium impiorum torrenti potius eſt ſimile, non ſolum, quod magno cum impetu fertur, quod ſine lege vagatur, atque quocumque cladem, atque ruinam adfert, ſed quod fluxum eſt, ac perfunctorium; & cor, quod modo eodem exundat, paulo poſt exareſcet luto, ſpinis, & amaritudine plenum. *Idem.*

In iis, quæ dico, experientiam conſulite; hæc melius, quam quælibet argumenta, vobis perſuadebit, extra Dei ſervitutem nullum eſſe verum gaudium, nullam ſolidam voluptatem. Dicunt, Domini jugum non eſſe ferendum. Quis hoc dicit? flagitioſus homo, ſuis voluptatibus deditus & qui nullum umquam aliud oblectamenti genus guſtavit, cujus licet ponderis alicujus eſſet teſtimonium, id deberetiſne credere, cum Jeſus Chriſtus docuerit oppoſitum: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve . . . . . Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris.* Matth. 11. Dubitatis adhuc? Conſulite omnes Sanctos Patres, qui teſtimonium hoc perhibent miſericordiæ Dei, ſimplex adeo bono domino ſerviendi deſiderium effeciſſe, ut ea perfruerentur voluptate, quam mutare noluiſſent cum iis oblectamentis, quæ mundus offerre poteſt ſuaviſſima: *Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde!* Pſalm. 72. O Iſrael ſi ſcires, quam bonus & liberalis eſt Deus! Bonus eſt etiam erga inimicos ſuos, quibus vitæ hujus bona non negat, licet illis abutantur contra ipſum; erga illos vero, qui ipſi deſerviunt, ita ſuavis eſt, atque omnium oblectationum prodigus, ut exprimi nequeat. *Idem.*

Nullum niſi in Deo gaudium & requiem invenire poſſumus.

Scio, Deum feciſſe cor hominis, neque illud feciſſe pro creaturis, quæ vaſtam illius extenſionem replere non poſſunt; *Feciſti nos ad te Deus, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Pro te, o Deus, feciſti hoc cor, & fruſtra extra te, ſervitutemque tuam quærit ſuam requiem, & felicitatem. Fruſtra terrena hæc conſectatur, ac delibat omnia ſenſibilia objecta, quæ ſunt ſuper terram; hæc inquirens bona inquietus erit, cumque invenerit illa, tunc ſollicitudinem ſuam ſentiet percrebuiſſe. Nequaquam; nullibi requiem inveniet, niſi requieſcat in te: *Irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Dele igitur. Domine, hæc omnia inania deſideria, quæ nos turbant, & inutiliter agitant, atque in eorum locum ſubroga deſiderium placendi tibi, cognoſcendi te, amandi, atque ſerviendi tibi. Deſiderium hoc requiem noſtram non perturbabit; e contra magis ardens erit, & nos magis tranquilli, *Idem.*

Deo ſemper ſerviendum.

Ut vere Chriſtiani ſimus, ſemper Chriſtiane vivere debemus. Si eſt divinæ auctoritati fines ſtatuere non credere cæce ea omnia, quæ illius teſtimonio probantur, nonne eſt æternitatem illius quibuſdam veluti cancellis circumſcribere, ad tempus ab illius ſervitute recedere? Non vult ille cor veſtrum, niſi in æternum illud poſſeſſuros eſt; & putatis acceptos illi fore annos, quos mundus cum ipſo partitur. Profitetur ille ſe irritari, & dedecorari cultu veſtro, quantumvis modice & alium ſimul Dominum colatis; & audetis exiſtimare, ipſum ea vita honorari, cujus pulchriores dies dæmoni devoti ſunt? Veſtra vos fallit opinio; fieri nequit, ut unus homo duobus dominis etiam diverſis temporibus ſerviat. Hic Deus, qui omnem meretur ſervitutem tuam, hanc non magis hoc, quam alio tempore meretur; illam ſemper depoſcit, neque patitur, ut vel uno tantum momento eam ſibi mundus uſurpet. *Idem ſermone* 48.

Glorioſum eſt ſervire Deo.

Quantus honor, & gloria eſt tanto, & tam bono domino ſervire! Conditio illius, qui inter ſervos ejus minimus eſt, melior eſt conditione regum terræ; tandem enim horum magnitudo, ac proſperitas cum vita deſinit, & ſervi Dei cum vita ſua finem imponunt laboribus, qui in ſervitute ſua ſibi ſunt perferendi, poſtmodum æternam felicitatem, ac immortales coronas inventuri. Jure igitur regius Propheta affirmat, meliorem eſſe diem unam in atriis Dei, quam mille alibi ubilibet. Verum eſt gloriam in pretio eſſe habendam, & amandam; ſed non ibi ſtatuitur, ubi vere eſt. Honori nobis vertimus, quod regibus famulamur; caro emimus pretio in domibus eorum officia; Deo autem ſervire non admodum glorioſum eſſe cenſemus; & quod deplorabile eſt, ſæpe nos pudet, quod illi obtemperare debemus. In hoc maximum gloriæ ſuæ argumentum collocabatur eo tempore, quo Chriſtiani *tamquam purgamenta hujus mundi* habebantur, & nos ſæpe pudet ea facere, quæ ad cultum illius pertinent nunc temporis, cum late chriſtiana religio dominatur, & potentiſſimi quoque monarchæ eam ſequi gloriantur. Felices Chriſtiani qui agnoſcunt, quanam gratia a Deo cumulentur, dum in ſervorum ejus numero recenſentur . . . . O quam ſuavis eſt Dominus! quam magnificus in promiſſionibus ſuis fidelis in iis exequendis! liberalis in remunerando! Quam beatus eſt, qui famulatur illi; & quam bene elegit, qui illi voluit adhærere! O ſi omnes homines ſcirent, quid ſit Deo ſervire, non aliud umquam cuperent, non aliam inquirerent gloriam, quam ex eorum eſſe numero, qui illi deſerviunt... Dominus meus, & Deus meus! amariſſimo dolore conficitur cor meum, cum coram te præteritos vitæ meæ annos recogito. Heu! tantum abeſt, quod illos unice impenderim tibi famulaturus, ut ſim ex numero infidelium ſervorum, qui ſibimet ſervierunt, & qui ſe ipſos, remque ſuam tantum ſpectarunt. Attamen cum ſis dominus meus, & rex meus, tibi hodie me in æternum fideliter adhæſurum jure jurando polliceor, recipioque, ac profiteor me in ſervitute tua vivere, & mori velle. *Boudon, in libro cui titulus: Chriſtianus ignotus.*

Deus eſt dominus ſuavis, & mitis, qui leviores facit pœnas ſibi inſervientium.

Si rite ad examen vocemus ea, in quibus Deus illam conſtituit ſervitutem, quam a creatis exigit rebus, iniquum profecto de eodem fert judicium, qui illum durum exiſtimat dominum, cui curæ non ſit condire ſervorum ſuorum labores aliqua ſuavitate, qua reficiantur pondus diei, & æſtus perferentes. Quid enim innuit Spiritus ſanctus, cum de viro bono loquens ait, Deum illum in benedictionibus dulcedinis ſuæ præveniſſe? Pſalm. 20. Quid ſignificat regius Propheta, cum Pſalm. 53. homines invitat, ut Deum guſtent, ejuſque bonitatem experiantur? Quid ſibi vult S. Paulus, cum ad Roman 15. orat Deum conſolationum, ut credentium in ſe corda repleat gaudio, & pace in fidei ipſorum exercitatione? Quid Salvator ipſe indigitare vult, cum homines invitans ad jugum ſuum ſubeundum, hoc ſuave, & leve eſſe, ac in eo cordis requiem inveniri, teſtatur? Neque Propheta, neque Apoſtolus, neque Jeſus Chriſtus in his locis loquuntur de alterius vitæ gaudio, ſuavitate, dulcedine, requie; quandoquidem verba faciunt de eo gaudio, quod hic in terris experiri poſſumus, quoniam loquuntur de dulcedine ſæpe nos præveniente, & requie, quæ ſub ipſo jugo, tunc etiam dum fertur, invenitur. *Pater Aurelianenſis ſermone de ſeveritate evangelica.*

Deus ſervis ſuis non omnes in alteram vitam delicias reſervat; quædam in hac quoque vita illis tribuuntur, quæ ad gloriæ coronam non pertinent; ſed quæ locum habent ſtipendii in temporali militia, quemadmodum loquitur S. Bernardus; cum velit ipſe non metentem ſolum, verum etiam ſerentem hoc alacri animo facere: *Ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit,* quemadmodum ipſe Dei filius teſtatur Joann. 4. Scio equidem, & Propheta hoc dixit, cum lacrymis ſeri, quod cum gaudio metendum eſt: ſcio hoc Jeſu Chriſti jugum, quod ſuave appellatur, crucem eſſe ferendam, ac jugiter feren-